DISSERTATIO PHYSIOLOGICO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PARAPHRENITIDE.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPTIMO MAXIMO,

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOAN. CONRADI RUCKER,

J. U. D. ET JURIS CIVILIS IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, & *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

HUGO VANDER HEIM, Roterod. Batavus.

Ad diem 17. Octobris 1741. hora locoque solitis.



VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

D. HENRICO VANDER HEIM,

URBIS SCHIEDAMENSIS SENATORI, ET SCABINO, PARENTI SUO OMNI AMORIS ET HONORIS CULTU ÆTATEM PROSEQUENDO,

D. PETRO DEN BEER,

J. CTO, URBIS SCHIEDAMENSIS SENATORI ET SCABINO, AVUNCULO SUO, EA, QUA DECET OBSERVANTIA, SUSPICIENDO,

D. JOHANNO VANDER HEIM,

J. CTO, DOMINO DE GOUDSWAART, URBIS SCHIEDAMENSIS CONSULUM PRÆSIDI GRAVISSIMO, ET SENATORI, VLAARDINGÆ ET TERRITORII VLAARDINGENSIS SUMMO PRÆTORI, DELFLANDIÆ, QUOD VULGO DICUNT, HOOFT INGELAND, COLLEGII, QUOD VIIS, AQUIS ET AGGERIBUS SCHIELANDIÆ CURANDIS PRÆEST, ASSESSORI,

ET

D. HENRICO BOSSCHAERT,

URBIS SCHIEDAMENSIS SENATORI, ET CUM MAXIME CONSULI, AGNATIS SUIS, PIE ET AMANTER COLENDIS,

Hæc prima & exigua ingenii sui documenta, devinctissimo & gratissimo animo tradere voluit,

HUGO VANDER HEIM.

AUCTOR.



DISSERTATIO PHYSIOLOGICO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PARAPHRENITIDE.

§. I.

NUllo fere ex fonte uberiori, vitia, magis exitioſa, & graviora, in totam corporis humani compagem, ocyus latiuſque dimanant, ac ex æſtuante Phlegmonis affectu, quem infauſtiſſimi ejus eventus in morbos innumeros & acutiſſimos, ſatis abunde declarant.

§. II.

Structura hominis, dedito physiologorum studio lustrata, mirabili vasorum contextu, in cujuscunque minimæ partis spectabili puncto, præstat. Majores ubique canales, minoribus cincti, cum his fluida in orbem vehunt continuum, quæ diverso sæpe impetu auctiori, in illorum angustias concitantur, & mora, quacunque ratione concepta, perennante interim humorum accursu, mox universam effectuum inflammatoriorum seriem conficiunt.

§. III.

Hujus vero morbi momentum & discrimen, sede ejus, in loco præcellentiori, vel minus præstanti, fixa, metiendum esse, doctrina Medicinæ practicæ præcipit, nec cui dubium esse potest, qui nobilitatem functionum offensarum, & damna, inde in totam animalis oeconomiam proficiscentia, rite intuetur.

§. IV.

Hisce ex partibus principibus, quæ inflammationis ardore accensæ, per quam insigne vitæ periculum intentant, Diaphragma definitum, quousque

usque membrana pleuræ investitur, vel & ipsum septum medium, ex jure Doctoratus honores capessituri, spectandum statui.

§. V.

Funestissima hæc conditio regionis (§. IV.) insignitæ, Paraphrenitidis nomine affecta, (a) (b) (c) non ex appellationis hujus origine, ducta ex παρα ex, & φρενιτις phrenitis, perspicue elucessit. Hæc enim neutiquam ex principio cerebelli, morbosæ materiei appulsu oppressi, & ex intercepta hinc succo nervoso via in tractum Thoracis, & ejus confinia, conflatur. (d) Nec ipsa a vapore sanguinis, fervidioris, rarefacti, atque in finibus cerebri ejusque vasis detenti, neque a cruore ipso, vehementer calente, Encephalo afferri noscitur. (e) Hac & priori mente, Paraphrenitis, vel phrenesis vera, hanc nimirum mox paritura, vel unum tantum ex ejus symptomatibus, quæ longe in Corpus evagari possunt, verius appellari, congrueret. Ex quibus omnibus lucidissime apparet, an nomen inflammationi, ad quam animus hic advertitur, accom-

(a) Prosp. Alpin. de præs. Vit. & Mort. Lib. II. Cap. III.
(b) Wedel. path. dogm. Med. Sect. III. Cap. IX.
(c) Boerh. aph. Cap. de Paraphren.
(d) Willis. part. secund. path. Cap. X.
(e) Plater. Cap. III. de Ment. alienat.

commodatius Parapleuritis indi possit, quod scilicet non tam aliena significatione adductum, sed magis affine morbo pleuræ inflammatæ, & fere ei accedere videtur. Verum æqua minus ratione designationi, in principio positæ, nota censoriæ severitatis adjungenda esset, si, constructa voce Paraphrenitis ex παρα, & φρενες, Diaphragma indicans Hippocrati & Veteribus medicis, tum provectius malum, quod cerebrum in consensum trahens, delirium homini infert, perspiciamus; tum sententiam philosophorum quorundam rimemur, qui de officina animæ, in pectore (f) & Diaphragmate, ut corporis medio, locata, argute somniarunt. (g).

§. VI.

Quam vehementer hæc Phlegmonum species, præ ceteris, quodcunque invaserint viscus, fundamenta actionum naturalium, vitalium, & animalium, evertat, ex partium afflictarum, & inprimis, proserpente statim vitio, ex Diaphragmatis structura, situ, nexu & muniis, quæ sustinent, curata cogitatione præcipi potest. Quam ob rem horum omnium solers perlustratio morbo peragendo lucem affundet quam maximam.

(f) Plato Timæus pag. 70.
(g) Arist. de part. Animal. & earum Caus. Lib. III. Cap. X.

§. VII.

§. VII.

Diaphragma (h) (i) potiſſimum reſpirationis organum, ſepimentum æmulatur muſculoſum, quo fines abdominis, non omnes, ſed magni ſaltem, a thorace terminantur. Hoc eximo naturæ artificio conformatum cernimus, ad viſcera, ejus veluti ſubdita tecto, ambienda & munienda. Hiſce conſentanea affabre forma & amplitudo cavi ejus, gibbi Thoracem verſus, & concavi, abdomen ſpectantis, latioris & expanſi magis a parte dextra, quam ſiniſtra, ad Hepar tuto & commode recondendum, quod dextrum adimplet hypochondrium, porrectumque, in ſiniſtrum, mole continuo attenuatur, donec in lunatum exeat marginem. Primum hujus ligamentum, dictum vulgo latum, (k) quo ſepto transverſo annectitur, verſus dextrum cartilaginis mucronatæ latus contendit, & alterum a ſiniſtro ipſo Diaphragmate jecur colligat, cui etiam, ope membranæ ejus externæ, a poſteriori jungitur. Fibroſæ (l) præterea productiones, a peritonæo, quo ſeptum ſuccingit, Gibbo Lienis immerguntur, cui idcirco, ob ejus proximitatem & nexum cum illo, commercium arctius, quam cum aliis, intercedit. Hinc ob

(h) Williſ. de Cereb. Anat. Cap. XXVIII.
(i) Wedel. Phyſ. reform. Cap. XI.
(k) Veſal. de Corp. hum. fabr. Lib. II. Tab. VII.
(l) Idem Auct. loc. cit.

ob demiſſiorem ſplenis ſedem, & imaginem, hic Diaphragma, non tanta latitudine, quam ab Hepatis grandioris ſitu, eminet, ſed quartam tantum, vel quintam coſtarum attingit, & breviori initio orditur.

§. VIII.

In elatiori & interna Diaphragmatis regione duo comparent foramina, quorum unum a latere ſiniſtro (m) ſpinæ, tranſitum ſtomacho in abdomen permittens, & non nerveæ ejus ſubſtantiæ, (n) nec dum pronatæ, ſed carneæ inſinuatum, figuram exprimit ovatam, fiſſuræ conſimilem, hiantem in medio, ſed in utriſque extremitatibus lateralibus compreſſam. Alia dein apertura in tendine data, ex parte altera, parum a ſpina diſſidens, triangularis, (o) & magnitudine ſane conſpicua, prodit, & præclaro uſui, recipiendæ nimirum venæ cavæ, & tranſducendæ in cavum thoracis, ſervit.

(m) Id. auct. loc. cit.
(n) Albinus hiſt. Muſc. Lib. III. p. 296.
(o) Galen. de loc. affec. Lib. V. Cap. IV.

§. IX.

§. IX.

Hiatus ſtomachi, nec venæ cavæ, Diaphragma perfodendo, ſed more naturæ amiciori, evadunt, cujus examine curatiori, ſepti ortum penitius contemplari oportet. Proventum hoc ab antica lumborum parte, ad infimam thoracis oram adſcendit. Tota ejus compago octo exſtruitur Capitibus, (p) quorum quatuor dexteram, & paria numero, ſiniſtram tenent. Hæc amplitudine, copia, tenuitate carnea & tendinea, atque longitudine quam maxime diſſident; quippe duo media, præ ceteris, in longum magis diducta, conſpiciuntur. Inferior pars vertebræ corporis lumborum tertiæ, ab oſſe ſacro, promittit primum, tendine magno & amplo conſtructum, ex cujus terminis lateralibus ſenſim caro enaſcitur. Siniſtrum quoque primum, initiis inchoans tendineis multis, ab anteriori corporum, ſub quarta a ſacro, progreſſu ſuo, ilico carneam ſuam nanciſcitur indolem, cui adhuc aliud, ab infra deveniens, nectitur. Originem capiti ſecundo utrimque corpus quartæ vertebræ, ab oſſe ſacro, impertitur, cujus uti & tertii tendo, a margine corporis quartæ ſuperiori, & quarti a proceſſu tranſverſo vertebræ quartæ ab oſſe ſacro profectus, in unam carnem vertuntur. Hæc præ-

(p) Albin. hiſt. muſc. loc. cit.

præfinito loco, circa ſtomachi aperturam, ad ejus margines diverſo capitum occurſu, illos circumſcribentium, ſe decuſſat, & canali illi pervia relinquitur, quem ſtatim elapſurum, membrana peritonæi complexa, continuata deinde tunica externa induit. Apertura vero, aditum venæ cavæ patefaciens, circumtexitur, & a tendine vicino, & aponeuroſi quadam, cum portione carnea, contrarias in partes vergentibus, & ſibi diſcriminatim innexis.

§. X.

Multis præterea intervallis eſt ſeptum diſcretum, cum capita ejus, præprimis media, adſcenſu diu ſatis, antequam carne intumeſcente confluunt, a ſe invicem remota incedant. Conjunctione illorum poſtea inita ad inſtar lunæ, ex ſpatio medio, non expleto, in conſpectum venit Aorta, intrantibus ſimul illud ductus Thoracici radicibus. Ex interſtitiis vero Capitum primorum & ſecundorum, varium in modum exitus nervis intercoſtalibus aperitur, & in latere dextro venæ conjugis experti, quæ ſemper in hoc obvenit. Coeuntibus ſecundis corporibus ſimiliter cum tertiis, & his cum extremis, latiori ſemper circuitu, pro diametri expanſione, infra horum marginem tendineum, vel non nunquam carneum, pſoarum egreſſus incidit.

§. XI.

§. XI.

Connatis ita (§. IX. & X.) Capitibus Diaphragmatis, hoc illico in latitudinem se explicat, & in fornicem Thoracis assurgit , inflectens se ad utramque partem, & ad anteriora, secundum internam Thoracis circumferentiam. Ad hanc incurvo constanti ductu defertur, donec ab imo ejus definiatur. Sed dum mox ad Thoracis pertigit ambitum, tot divisionibus in ambo secedit latera, una medium occupante, quæ ad sterni apicem, ab anteriori ejus aspectu, pervenit, & alteræ utrimque demissæ, & latissimæ costis, undecimis , decimis, nonis , octavis, & septimis interne, finibus carnosis, affiguntur.

§. XII.

Limites Diaphragmatis, quod Thoracis & abdominis cavitatem intersepit, in totum prope a membraneo ejus circulo constituuntur , (q) qui tamen non exactam præbet figuram orbicularem , sed magis oblongam, quæ a facie anteriori in retusum vergens acumen, inde lunato ductu , in posteriora distenditur. Hicce tendo amplus ergo , expansioni non admodum dispar triangu-

(q) Albin. hist. musc. Lib. III. de diaphr.

angulari, secundum delineationem Couperianam, fibris suis, ex carnearum genere eductis, morem etiam harum, in decursu suo, affectat. Hinc compage ejus mire perfecta, fibræ, ad utraque intentæ latera, maxime a recta aberrant via, quæ contra ab intermediis, pro directionis norma, exactius tenetur; licet quam plurimæ ab his, insigni naturæ varietate abscedant & stratis nerveis, cum aponeurosibus, ab utroque latere superiori tendinis, & dextro inferiori decurrentibus, decussando immisceantur. Quod vero nervei hujus corporis crassitiem attinet; hæc pertenuis existit, uti & Caro universi septi, quæ in tendinem pedetentim reducitur, extra postremam, secundum inferiorem utriusque lateris marginem protractam, solumque naturam suam non exeuntem. Hæc ab ultimo capite specie pergit recurva, ad undecimam usque costam. Prima caro cum inscenderit, ad postici lunati tendinis formam se convertit, quam quousque utrumque illius crus posterius porrigitur, ab hac ipsa oppletam deprehendimus. Altera ex ipso centro nerveo generata caro, ab universo ejus ambitu anteriori, ad posteriores usque apices panditur, & undicunque ad thoracis curvationem directa, postmodum deinde in hujus infimam partem declinat. Obtigit nonnunquam (r), ex tendinoso centro fibras radiorum instar emanasse, & fuisse iis,

(r) Vesal. de fab. c. h. Lib. II. Cap. XXXV.

iis, quibus septum transversum adnascitur lateribus, insertas.

§. XIII.

Interna jam septi fabrica pro virium institutique ratione & exigentia exhibita, usus quoque externæ ejus poscit considerationem. Duplicem hoc adsciscit membranam, veteribus jam perspectam, quarum prima, inferior abdomini & ejus incolis visceribus communis, peritonæum, quo integitur totum Diaphragma, nisi qua hepar, prope venam cavam descendentem, nude tangit. A superiori vero, e regione cordis & pulmonum qui imis partibus suis illi insident (s), pleura a costis excurrente, est obductum, præterquam eo in loco, quo, tanquam fulcimine, pericardium nititur.

§. XIV.

Vasa phrenica, arteriosa & venosa, ex gemina potissimum radice nascuntur, arteriæ nempe a Cæliaca, quæ antequam se bipartiatur, duos spargit ramos, ad utraque septi latera dextrum & sinistrum, qui præcipue per ejus inferiora se disseminant. Deinde etiam ex subclavia, ad ambi-

(s) Eust. tab. IX. & XV. fig. I. II. III. IV.

bitum ejus superiorem, & interdum quidam ex mammaria pertinent, quibus adhuc arteriolæ ex intervallis costarum prodeuntes, sociantur. Venæ vero a cava descendente, ex Diaphragmate egressura, mox undique per hoc copiosissime dispergguntur, & conjunctim cum illis, quæ a subclavia & azyga petuntur, sanguinem in fontes suos vicinos revehunt.

§. XV.

Ministri motus sensusque nervi, quibus septum maxime affluit, primum a binis nascuntur Diaphragmaticis (t), qui ex mediis cervicalibus oriundi, & recta fere ad latera mediastini quorundam deducti, per thoracem sine ramorum progerminatione, propemodum toti in Diaphragma ramosissime demerguntur. Præter hos a nervo inter costali, origini suæ haud congruente nuncupato, cum illa ex ipso cerebro referatur, quidam huc ablegantur surculi, uti & a pari vago seu sexto veterum, qui omnes mira implicatione Diaphragma perreptant.

§. XVI.

Jam ex constructione Diaphragmatis, actio ejus

(t) Eust. tab. XVIII.

jus, apte riteque penſanda, certe quam plurima complectitur officia, quibus corporis functionibus ſuſcipiendis & relevandis ſuccurrit. Si cuncta appoſito perſequi ordine animus ſit; reſpirationis vim, partibus adhibendam finitimis, nos exquirere oportet. Exſurgente igitur Thorace obliquo ductu in priora, illapſoque in pulmones aëre, ambitus Diaphragmatis, contractionem obeuntis, pro muſculorum agentium genio, brevior nec planior fere redditur, ob viſcerum, illi ſuccumbentium formam, qua fibræ ejus muſculares, quaſi repreſſæ, indolem ſuam, ut Lineæ Geometricæ, aſſequi nequeunt. Arctata igitur abdominis cavitate & pectoris e contraria ratione adaucta, pulmones, aëreo fluido turgidi, perſiſtunt. Conſtrictione vero Diaphragmatis & peritonæi, illi adhærentis, congruente abdominalibus, hi antrorſum protruduntur, ut vivis manu comprehendere licet. Omnibus ita conſtitutis, preſſionem viſcerum deorſum & ventriculi ſimul antrorſum evadere, lucide apparet. Iiſdem porro effectis, mutuo ſemper conſenſu conſpirantibus, hiatus ſtomachi (§. IX.) deſcriptus ſimul coanguſtetur, eſt neceſſe. Quod ſi nunc Diaphragma a muſculis abdominalibus, in exſpiratione actuoſis, rurſum in ſublime fertur, ab arctiori thorace pulmones compreſſi aërem ſuſtentum rejiciunt. Verum retenta anima, contractiſque ſepto & muſculis abdominis, illud, his auxiliantibus, ad eliminanda ventris recrementa & alia corporis fluida eximie confert. Quanta enim

C pol-

polleat in hæc vi, varia experimenta, cum animalibus vertriculo ſauciatis, confecta, evicerunt, cum alternis ejus Ictibus ingeſta ad aliquot pedes projectata fuerint.

§. XVII.

Tanta tamque varia emolumenta (XVI.) quæ ex Diaphragmatis integritate in totum corpus redundant, ſubito naturæ eripiuntur, ſi illud violentia quacunque vel externa vel interna (II.) multiplici, nec verbis enumeranda, phlegmone infeſtetur. Hinc morbi hujus præſentia ex ſymptomatum multorum atrocitate ſumma, in dies exardeſcente, cito erumpit, licet illa in principio, cum ob ejus inſolitum proventum, tum conjectationem dubiam ſubortæ forſan pleuritidis vel inflammationis vicini viſceris, non raro in occulto lateat.

§. XVIII.

Diagnoſi autem Paraphrenitidis certa medicus inſtruitur, ſi primum febris acutæ teneat doctrinam, quæ in hac, præ aliis vehementia ſua ſine ullo levamine adurget (u), (w), (x). Irritamen-

(u) Schenk. obſ. Med. Lib. II. de Diaphr.
(w) Boerh. Aph. Cap. de Paraph.
(x) Galen. de loc. affect. Lib. V. Cap. IV.

menta enim velocioris contractionis cordis, in ejus resident vicinia, & ex eo humores in motum quam rapidissimum citant. Omnes igitur febris inflammatoriæ & acutissimæ effectus, fluidorum agitatio, circuitus turbatio, stagnantium attritus, vasculorum perditio, calor, tumor, splendor, dolor, suppuratio, & alii maxima pernicitate intenduntur. Quin immo si potentiam canalium minimorum, cordi renitentem, ex illorum angustiis, numero, movendorum massa, & elasticitate, cum animo reputemus; cuncta certe, si ullibi, hic potissimum ægrotantem in præsentissimum vocant vitæ discrimen. Inexplicabilis enim subtilitas & firmitudo arteriolarum & venularum, quæ quam diffusissimæ tendinosis membraneisque partibus interseruntur, visum non judicium Anatomici fugiunt.

§. XIX.

Verum illa paraphrenitidis præsentis argumenta (XVIII.) quæ etiam Pleuritidem & Phrenesin innuunt, nonnunquam fallaciam indicaturo portant. Quare illius multo explicatiorem & exploratiorem rationem ex ægro, cruciatus inflammati loci intolerantissimo, capiendam esse liquet. Quod si quid monstri pleura alit, ægrotantes, in hoc vel illud latus flexi, hujus sinistri aut dextri incubitu, levi lenimine fruuntur. Phrenitici tali corporis jactatione nullo molestiæ sensu anguntur,

nec admodum de hoc Paraphrenitide impliciti conqueruntur. Urentis enim illorum doloris sedes media, ex distincta Diaphragmatis circumscriptione (§. VI. & IX.) & gravitas, ex fabrica ejus nervea & tendinosa (§. XII. & XV.) qua præcipue ad obtinendam motus alacritatem, constantiam & sui ipsius firmitatem gaudet, clare discernuntur.

§. XX.

In insolentium autem symptomatum numero, quæ paraphrenitidem stipant, merito ducitur spasmus cynicus, (y) quo correpti genarum musculi ita rectum distrahunt, ut æger inopinam ridentis personam ludere videatur. Risus hic lugubris Sardonii nomine a practicis insignitur, & nonnulli illum a consuetudine turpissima Sardorum, senes suos Saturno ridentes libandi, vel parentes grandævos, fustibus cæsos, cum horum lætitia præcipites dandi in fossas; alii ab esu Opiastri Plinii, herbæ cujusdam, in Sardinia crescentis, & hinc Sardonia Dioscoridi dictæ, quæ ex ranunculis est, tractum esse opinantur. Hunc vero, testante jam Hippocrate de Tychone (z), ex Diaphragmate, catapulta saucio, inductum, non ambigue autumamus. Motus etiam hujus deturbati mentionem

a

(y) Sennert. Cap. de tum. Diaphr.
(z) Hipp. de Morb. Vulg. Lib. V. Sect. VII.

a Plinio (α) aliisque illatam offendimus, qui principium ridens præcordiis ingenitum existimans, idcirco hæc ictu trajecta in præliis gladiatorumque spectaculis mortem cum risu attulisse, narrat. Nec quis forsan inficias ibit, quod ille Cachinnus (β), in causa convulsorum faciei musculorum a læsis vel lancinatis nervis, insit. Quam valide vero hi (§ XV.) in Paraphrenitide continuis punctionibus lacessantur & quam facile ob cognationem tam magnam nervi Diaphragmatici, cum vicinis, ut risus effectricem (γ); illos in consensionem rapiant, qui ad maxillas contendunt, non difficili conjectura perspicitur. Quapropter luctuosus hicce risus Sardonius hilari ægri vultu ejus calamitatem prænuncians, falsum & triste gaudium Ciceroni (δ), (ε), Gallo delaturo, & aliis in adagium cessit, rei maxime cognatum.

§. XXI.

Provecto hucusque Medico in examine Paraphrenitici, illi porro doloris ejus dirissimi incrementum, sub adventu aëris in pulmones, perscru-

(α) Plin. Lib. XI. Cap. XXXVII.
(β) Hoffm. Sect. I. Cap. IV. De Gedealog. Morbor. ex turbato &c.
(γ) Willis. de Cerb. Anat. Cao. YXVIII.
(δ) Cicer. Lib. VII. Epist. XXV. ad famil.
(ε) Plutarch. in Grach. pag. 840.

ſcrutandum obvenit. Conſtitit ſuperius (§. XVI.), qui actu inſpirationis, ſepti contractionis ope & abdominalium viſcerum compreſſione Thorax in majorem ſemper amplitudinem excedat. Quapropter, cum in actione Diaphragmatis morboſa, fibræ ejus tendineæ & vaſa nervoſa, materie inflammatoria onerata, non exiguam tenſionem, diſtractionem, impactionem in ſubjecta, & impetuoſiorem humorum appulſionem, non ferendam ſuſtineant, his omnium dolores, utut acerbos aggravari, oportet. Senſiliſſimæ enim hae partes omnes, obſtructorum vaſculorum intumeſcentia jam ſolito fortius expanſæ, licet ſenſibus non pateſcat, ſtimulatione illa iterata potentiori, ex imminente ruptionis periculo in idem ſed propius adducuntur.

§. XXII.

Eodem ex capite affectuum noſcuntur exacerbationes, quæ intercidunt; primum in oſcitatione, tanquam diu protenſa Empneumatoſi; dein in coactione abdominis, neceſſitate alvi ſolvendæ & mittendi lotii inſtante; in omni porro nimia ventris concuſſione, uſu ptarmicorum & tuſſim excitantium oborta; in ipſa denique fortiori narium emunctione, ſingultu, ſuſpiratu alto, ſcreatu immoderatiori, ructu & lacrymatione profuſiori. Omnia hæc vitia aliaque plura vel celeritatem reſpirationis modicam, cujus imperium late

te

te ſe in corpus diffundit, ſufflaminant, vel citiori pravoque impulſu evocant. Jam infirmum Diaphragma inflatum pulmonis diuturnum organorumque pneumaticorum ampliationem magnopere quidem perferre gravatur, ſed magis horum inquietationem, tot corporis tremoribus terroribusque percitam; qui præcipue in fæcum alvinarum dejectionibus, paulo difficilioribus, paraphreniticorum peritonæo incutiuntur.

§. XXIII.

Quas ob cauſas ægri, dolorum inflammatorum auxilia anxie quæritantes, in inſpiratione humeros jugulaque cum ſcapularum & ſterni varia commotione attollunt; diſtractis ſimul narium alis, ad aërem largius captandum. Hæc ſublimis, & merito phænomena audiens reſpiratio, non magnam certe, ob tam conſpicuam Thoracis elevationem, aëris admiſſi copia, æquiparat; ſed pauca ſaltem, e pulmonibus reverſa, deputatur. Diaphragma enim & abdomen, dilatationi ſuæ maxime obluctantia, immota torpidaque conſiſtunt. Ergo tardato ex parte ſanguinis itinere per pulmones, hiſque illo infarctis, & ob Thoracis anguſtiam non ſatis evolvendam, & virium labefactationem, cum ſuffocationis metu, neceſſitas crebrioris & exiguæ

ſpirationis (ζ) premit, quo parvitati velocitate quadantenus conſulatur. Contra pleuriticorum incommodis in aëris attractione, Diaphragma integræ ſuæ flexilitatis medio ſummopere medetur; vacante interim a motus ſui officio Thorace. Phrenitide vero detenti, ſano & ſatis dilatabili pectore toto, copioſum ducere ſpiritum poſſunt, atque ex magnis intervallis; niſi forſan unum ex inſtrumentis reſpiratoriis infectum labe quadam occulta fuerit. Quare hi quoque multa vociferatione & ſermonis gravitate, optime valentium tono conſona, præprimis a prioribus abſunt, qui non præter acutum & extenuatum reddere ſonum queunt-

§. XXIV.

Quemadmodum porro ad omnes juſto incitatiores & violentas muſculorum contractiones, contiguæ etiam partes mobiles maxime torquentur; ita etiam revulſo Diaphragmate a ſtimulo iuflammatorio, nervis impreſſo, ſimili contenſione peritonæum in ventrem acriter impellitur (η). Offenſio hic nervoſo generi ita accidit, ne ejus functiones plane opprimantur, ſed graviter hoc vellendo, facultates magis ex languo-
re

(ζ) Galen. de loc. affect. lib. V. Cap. IV.
(η) Gal. loc. cit.

re resuscitentur, & molesta ipsi & perniciosa dispellant. Quare punctoria ejus læsione eventa, non abolitione integra, spiritus animales crebriori plenioriqe rivo in Diaphragma effunduntur, quibus redundantibus, ipsius vis motrix in turbulentas oscillationes adigitur. Atque hæ eo acutiores jure putandæ erunt, quo majori robore tendo, a quo protrahuntur, valet. Hinc nobis auctor Coacarum prænotionum saltus & revulsiones Hypochondriorum versus interiora, secundum directam peritonæi constrictionem, in paraphrenitide citas, exponit. Quamvis vero in phrenitide septum transversum ferocibus etiam ictibus interdum insurgat; attamen hi diebus tantum posterioribus ægrotis suborti spectantur, cum paraphreniticis, in principio incidere soleant. (9)

§. XXV.

Ob arctissimum stomachi vinculum cum Diaphragmate (§. VII. & IX.) in proclivi est, mente futura prospicere mala, si ægro vel nimia ciborum ingurgitatione intumuerit ventriculus, vel quacunque ingrati solicitatione nausea aut emesis inducatur. A perverso enim motus peristaltici

(9) Prosp. Alp. de Præs. Vet. & Mort. Lib. II. Cap. III.

tici nixu in ſuperiora, ſeptum eadem verſus trepide raptum, ſubitaneo vehementique ſpaſmo revellitur. Totum ergo corpus, tantis inſultuum turbis conquaſſatum, acrius & acerbius quoque Diaphragma affligat, omnibus & minimis iniquitatibus ſubeundis impar. Contra præcordiorum tormenta, in paraphrenitide ventriculo allata, illi cardialgiam & vomitum creare oportere, tota rerum facies, hucusque attenta, annuit. Nec minus vehemens & pertinax hujus mali vis vitæ & nutritionis organa percellit, cum cordis regimen in omnes animalis functiones per diſpenſanda & amandanda æquabiliter fluida, a nervorum vaſorumque inſignium (§. VIII. & X.) exagitatorum ſingulari conſpiratione ſemper interpelletur, & tenero ductui Chylifero, depravata vel inquietata Diaphragmatis actione, virtus libere provehendi alimenta detrahatur. Chyli ergo & ſanguinis perficiendi opere ad perniciem luculente inſtructo, vigorem corporis paraphrenitici defloreſcere & præ macie & torpore niſi alio infeliciori fato extingui liquido pateſcit. Cætera prætereo exitia, in quorum ſocietatem vena caua, aorta, aliaque humores moderantia vaſa, cum Diaphragmate communi vinculo juncta, a frequentibus ejus convulſivis affectibus, perducuntur.

§. XXVI.

§. XXVI.

Quod ſi poſt ſtudioſam ſymptomatum paraphrenitidis inveſtigationem hæc in ſummam conferantur; inſiſtentis delirii præſagia ſignaque edunt haud obſcura, quæ ex peſſimis ſyſtematis nervoſi & cerebri afflictionibus emergunt. Dum enim continua nervorum correptione & vellicatione hi in immanes ſpaſticas adducuntur ſtricturas, tranquillum ſpirituum animalium flumen & aliorum humorum neceſſario interturbatur, & actis his intenſius in hos vel illos corporis receſſus, vel etiam in quodam forte remorantibus & congeſtis, uni vires exhauriendo alteri ad inſaniam uſque accumulantur. Hæc certa delirii cauſa, multis in morbis comperta & patefacta, ut in dentitione ſenum gravi (ι) deglutitione aciculæ (κ) inflammatione uteri ventriculi & renum, & in aliis quam plurimis, potiſſimum tanta ſævitia inceſſit paraphreniticos, ut hi nonnunquam ſecundum practicorum obſervata, violentiſſima mania ſeu furore tentati fuerint. Non ex Diatheſi ſtygia, excitataque ex efferocia nimia

(ι) Fried. Hoff. Path. gener. pars. II. Cap. XI. paragr. V.
(κ) Miſcel. Natur. Curioſ. Dec. I. Anot. III. Obſ. 86.

mia ſpiririituum animalium, in mentem irruentium, graviſſimum hoc exarſit pathema. Nec illud melancholiam præcedentem, quam ſæpe mania ferociſſima excipit, in paraphrenitide inſequi videtur. Phreniſis etiam ſæpe proceſſit in furores, ex magna ſucci nervoſi accumulatione & aggravatione in Cerebro, ut illorum ſcaturigine, contrario ideo melancholiæ ratione ſuſcitatos. Eodem ex fonte derivari maniam, in paraphreniticos ſævo impetu prorupentem, non obſcure ex ſuperioribus innoteſcit. Verum hic inortum metaſtaſi delirium, vel ſi mavis paraphroſyne, indicium ſymphomaticæ phrenitidis vel hecticæ, & ita cerebri, inflammationem nacti, procul dubio præfert. Ceterum hæc mentis alienatio his, veluti derepente facta, (λ) & illa ex phreneſi laborantibus ſenſim concita advertitur.

§. XXVII.

Tale generatim ſeſe oſtendit morbi noſtri ingenium, ut, quæ ex eo fluunt ſymptomata, cuncta veluti præcocia ægro mortem accerſeant. Provinciam enim, Diaphragmati traditam, ab illo ſtrenue perpetuandam, & nulla, ſine vitæ in-

(λ) Profp. Alp. loc. add.

interitu, intercipiendam esse mora, necesse cuique apparet, respirationis munus, & fructus ex eo & aliis naturalibus (§. XVI.) in Corpus manantes, expendenti. Quam ob causam, nisi in principio gravitas hujus valetudinis apto remediorum usu, vel naturæ ope vincatur, aut hæc in alios degeneraverit morbos, aut hisce morte ægri prærepti fuerint, venularum constrictionem & compressionem a loci tumore, diutinam humorum stasin, sanorumque in illos irruptionem, eorum putrefactionem & acrimoniam, indeque profectam vasculorum exesionem, inflammatio hæc necessario in gangrænam convertitur Hinc omnibus desævientibus paulo symptomatibus, quæ tamen mox in pejus recidunt, saniosa materies, depluens in abdomen, viscera depascit, & corrivata, putredinem subit fœtidiorem, qua ventre tumefacto, & corpore miserabiliter absumpto hoc deterrima tandem morte exanimatur.

§. XXVIII.

Ejusdem exitus prognosin de apostemate septi ferendam esse, claret, si hoc in abdominis Cavitatem perrumpatur. Quod discrimen, inter hoc & fluxum illum Gangraenosum (§XXVII) intersuturum, spectat; colluvies puris suppurato Diaphragmate, ad maturitatem deducto, majori

copia minorique, quam prior, acredine fusa, in ascitem tumidiorem & deteriorem statim increscet. Quare & hic omnis recuperandæ salutis spes despondetur; quanta etiam hanc opera, circumspectione & prudentia medicus annitatur.

§. XXIX.

Sed, cum symptomata paraphrenitidis mitigata, exspectationi ejus solutionis respondeant, levi tantum obstructione parta, & virtute prævalentis naturæ discussa, illi suppetias esse ferendas per lenem Diætam, aperientia mitissima & fomenta mollissima, partibus affectis admovenda, indicatur.

§. XXX.

Solennis quæ restat paraphrenitidis sanatio, ut gravissimæ inflammationi accommoda, ad humorum vasorumque vim retundendam, subita & copiosa venæ sectio, lato vulnere ministrata, vehementer pertinet. Sanguinis hauriendi in brachio dextro copia, ex ægri temperatura sicca vel humida, ætate, morbi incremento & vehementia pendenda erit. Dein quæ omne fere hic punctum

ctum ferunt enemata emollientia, & refrigerantia ſtatim injici debent; epithemata, potentia quidem frigida, ſed actu ſubcalida, ſimulque emollientia; linimenta blande oleoſa: interne medicamenta laxantia, dolorem refrenantia, diluentia, reſolventia, & refrigerantia largiter & calide potanda. Præterea victu tenui molli & antiphlogiſtico ægro utendum eſt, reliquæque res ſex non naturales tempore ita gubernandæ, ut, cum morbi vis laxari cœperit, corpori deperditum robur tarde reddatur.



CO-

COROLLARIA.

I.

Hominis Crescendi terminus non certa ejus ætate sed vitæ exitu definitur.

II.

Harmonia mentis & corporis intima, ex utriusque natura, facultatibus quam maxime a se remota, hauriri debet.

III.

Quotquot foraminulis membranæ totius corporis distinguuntur, nullum, nec maximum, perforatum existit.

IV.

IV.

Thorax ultra Costarum fines adscendit.

V.

Diaphragma in sexu nobiliori magnitudine excedit Virile.

VI.

Homo, qui in muniis suis colendis totum diem institit pedibus, e somno resurgens, longior evadit.

VII.

Actio Diaphragmatis in fœtu silet.

VIII.

VIII.

Empeiria, non ratione ſociata, & ratio non Empeiria, medicum male fruſtratur.

IX.

Nulla remedia, etiam commendatiſſima omnibus, per ſe ſalubria extant.

X.

Omni medicinâ, incaſſum ægroto facta, ſpes vitam ſæpe tutatur.

F I N I S.